UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

B. Ioannes Angelvs Conf. 24. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

periculoſius longè certamen hoc MARCIUS credere; non jam ludere, ſed fugere, ſed in faciem abjectus nec oculo hoſtem audere aſpicere. Ceſſit tamen etiam hæc, atque ne victam dubitares, mortua corruit. & ſubinde alii ſanctiore conſilio ad MARCIUM inviſerunt; quos inter puerum memorant, fallente veſtigio, in ſubjectam vallem innoxiè lapſum. Quid? quòd ſaxum ingens ſpelæo imminens, & à rupe ſuâ avulſum, ſaltu MARCIUM tranſiit: qui jam à principio catenæ, quæ modum ambulationi præſcriberet, pedem alterum alligarit; monitus tamen à D. Benedicto amoris potiùs funiculis teneri vellet, catenam quidem poſuit, cæterùm longitudinem ejus numquam exceſſit, niſi cùm excedere denique mors felix juſſit. Ex S. Greg. P.

Cùm finis noſtri dies advenerit, ubi nobis erit quod modo cum tantâ curâ, quæritur, & cum ſollicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ ſunt, quæ dimittuntur. illa diligamus, quæ ſine fine habebimus; illa timeamus, quæ à reprobis ſine fine tolerantur. S. Greg. l. 6. Regiſt.

B. IOANNES ANGELUS CONF.

24. Octobris.

IOANNEM ANGELUM exhibeo, vel nomine ſuo debitum VIRGINI; cui nempe ſi immortales illi Angeli ſervire gaudent, quidni noſter etiam? Atque hoc eſt, quòd Mediolani liberâ nobilique familiâ natus, annumerari tamen Florentinæ Servis MARIAE præoptârit. Ibi illum, ut ſcias quò vota ſua miſerit, abiiſſe inter preces in aëra ajunt, multaque alia feciſſe, quæ poſteri miramur. Sola caſtiſſimi interula innumeris parentibus auxilio

velut

velut obſtetrix ſalutaris ſ adfuit. Racemum cùm è vite aliò tuliſſet, & ægrè alii hoc ferrent, viti ſuæ quàm mox ita reſtituit, ut ne cicatricem è vulnere ſuperſtitem cerneres. Illud omnino & ſcriptu & lectu jucundum, VIRGINIS *ſervo*, ANGELO inquam noſtro, feliciores illos Angelos inſerviiſſe. Nam fuit, cùm è morbo decumbenti incidere venam medicus conſtituit. Hîc, abſentibus omnibus aliis, adfuêre è cælo ephebi gemini, cælo ipſo ſuo formoſiores, qui lumen aliàve miniſtrarunt, & ſanguinem ægri obſequioſi exceperunt. Tanti ſanè erat omnem omninò ſanguinem prodigere. Certè tam duriter vixit IOANNES, ut præter cutem & oſſa vix quidquam hominis jam haberet eò rectiùs ANGELUS dicendus, quò minus jam carnis illi erat. Hanc denique omnem poſuit anno præter ſalutis MD.VI. Laudes ejus funebres (quòd puto impar his lingua eſſet) campanæ ſponte impulſæ cecinerunt. *Ex Ferrar.*

De dilectione Conditoris lingua, mens & vita requiratur. Numquam eſt Dei amor otioſus: operatur etenim magna; ſi verò operari renuit, amor non eſt. S. Greg. Hom. 30.

SS. CHRYSANTHUS & DARIA MM.
25. Octobris.

CHRYSANTHUS patre natus Polemio ſenatorii ordinis viro, dum fortuitò in manus ſumit, quem Evangelii librum dicimus legitque, manus dare Chriſto diſcit, brevi lectione longè plurimùm edoctus. At Polemius, ut filium à Chriſtianâ diſciplinâ dimoveret, nihil non movere, carcerique demùm mancipare. Sed hic gymnaſii inſtar virtutis erat. Ergo ad inſidias amico-

rum